

Et divinum: Ab Adamo enim sacrificare divinitus jussu sacri-  
 ficandi consuetudo inolevit apud Abelem & Cainum hujusq; po-  
 steros, qui vero sacrificiorum sine, propter quem ordinata sunt,  
 non animadverso, externam duntaxat Ceremoniam eamq; salu-  
 tari usu plane vacuam retinuerunt &c. hucusque B. Walth.  
 conf. & p. 853. sqq. Off. Bibl. Add. pecul. B. Joh. Fabricii de hac  
 κακοζηλία dissert. inter Dispp. Acad. B. J. M. Dilherri Parte II. p.  
 162. sqq. quâ ex ipsorum scriptoribus dedit probatum, Gentiles  
 tam ea quæ spectabant ad præparationem hostiarum pariter  
 & sacerdotum sacrificialem, & eorum nomina, quàm ea, quæ  
 spectabant ad ipsam ἱεργία sacrificialem ex Judæorum hau-  
 sisse sacris, & ex Villalpando addit, quod ille C. 37. de Templo  
 Ezech. testetur, se omnia sacrificia, quæ Romæ licuisset videre,  
 lapidibus insculpta divaricatis cruribus conspexisse; qui ritus  
 ante maclationem victimarum ut cruribus divaricatis super  
 lapidibus expanderentur, apud Judæos adhibebatur. Sed  
 quemadmodum ea, quæ ex imitatione prava fiunt, ab his quæ  
 divino certoque præcepto rectè nituntur, meritò distingui  
 debent; ita quicquid est sacrificiorum gentilium (quæ ex ra-  
 tione recta, sibi relicta, proficisci non potuerunt; revelatâ au-  
 tem voluntate DEI per sacrificia colendi destituuntur) vel id-  
 eò in vitio ponendum est, & pro ἀλόγα habendum: licet et-  
 iam aliàs multum ineptiarum & impietatis ibi deprehen-  
 datur. Ubi verò paulò meliùs sese habere ritus illi viden-  
 tur, & ad similitudinem sacrificiorum divinitus institu-  
 torum quadrare; tamen, cum gentiles verum Sacrificiorum  
 finem non attenderint, & in Ceremoniis externis tantùm hæ-  
 serint; jure D. Apostolus præstantiorem h. l. à Christianis cul-  
 tum exigens, λογικόν cultum requirit: dum ille Ethnicorum  
 verè esset ἀλογος.

§. 26. Judæorum dum consideramus sacrificia, an & illa  
 fuerint ἀλόγα? nec ne? & quomodo verba nōstra iisdem op-  
 po-